

B. N. H. 142.

K. 38, 1.

II k  
4630

IOAN. HENR. FELTZII  
V. I. D. INSTITVT. IMPERIAL. ET IVRIS  
PVBLICI P. P. ORD. CAPIT. THOM. CANONICI ET  
FACVLT. IVRID. T. T. DECANI  
SPECTABILIS  
DE  
IVRIS PVBLICI  
SERVITVTIBVS

SIVE DE  
IVRIBVS IN ALIENO  
TERRITORIO  
TAM IN GENERE, QVAM QVOAD SPECIES  
PRAECIPVAS  
*EXERCITATIO IVRIDICA*  
QVAM  
IN ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE  
DIE XIX. MAI. MDCCCI.  
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVMISIT  
IOAN. NICOLAVS Schmid,  
MOENO - FRANCOF.

---

ARGENTORATI,  
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Acad. Typogr.  
M DCC XXXVI.

2225

IOAN. HENR. FELTZII  
M. I. D. INSTYT. IMPERIAL. ET PARIS  
PUBRIGI P. ORD. CAPIT. THOM. GANONICE ET  
FACULT. PARID. T. DECANI  
SYNODALIS

DE  
IVRIS PABLICI  
SERVITIBVS

IVRIBVS  
TAM IN GENERALI  
PRACTIVAS



EXER. CIVIT. PARIDICM  
IN ARGENTORATIENSIVM UNIVERSITATE  
DE XIX. MAI. MDCCCL.



IOAN. NICOLAUS Edm.  
ARGENTORATI  
Lincii GEORG. ADAMI PRESSOR. Acad. Typog.  
M DCC XXXV





LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

DISSERTATIONIS PRAESES

IOAN. HENRICVS FELTZIVS,

V. L. D. et P. P.

**Q**ui dissertationem hanc proprio, quod aiunt, Marte consignatam solenni eruditorum examini exhibet, IOHANNES NICOLAUS SCHMIDIUS, Francofurtanus, a quo tempore ad Academiam nostram

A 2

st ram

stram appulit, ita se gessit, ut, quibus innotuit propius, Amplissimis imprimis in Philosophica pariter et Iuridica Facultate Professoribus Collegisque meis non potuerit non eximie commendari. Me sane, quamdiu qualicunque manuductione mea utitur, utitur autem quamdiu hic versatur, ingenii rarior indoles ac concitatus diligentiae ardor adeo cepere, ut nullus unquam dubitauerim, quicquid heic in docendo temporis laborisque impenditur, optime iri collocatum. Firmat hanc fiduciam insigniter hoc ipsum industriae documentum, quo sibi tractandum publiceque exponendum sumpsit argumentum nobile, quod quidem ante hoc decennium et quod excurrit, in cathedram Inauguralem iam produxit Vir Amplissimus, qui Consilarii Saxo-Citizensis modo munere fungitur, Amicus et Affinis noster, sed ita, ut in generalibus institutum eius subsisteret; Noster uti quoad generalia laudato modo Auctori, cuius tamen laborem, cum mihi paginas istas primum exhiberet, nondum viderat, prorsus consentit; ita ad species etiam sibi progrediendum censuit, in quibus porro ita versatus est, ut intra angustiores Academici speciminis terminos se contineret, et concisa iurium singula-

gulorum descriptione defungeretur. Potuissent uti ab ipso Auctore, ita forte et subsidia alienae manus opella plura adiici; sed ego quidem alienum laborem plane intactum relinquere, idque ipsum hic profiteri malui, ut suum Auctori industriae praemium plene constaret; de quo alias persuasus sum, eum et strenue isthaec defensurum, et cuius nunc primas duxit lineas, eius quandoque tractationis plenam seriem exhibiturum esse. Ego, quod superest, Deum veneror, ut quem et naturae egregiis dotibus ornauit, et constanti boni moris eruditionisque sectandae proposito instruxit, ei et porro gratia sua adesse velit, et quae post absolutum summa cum laude in Academia quinquennium Iustinianum, ad perficiendum Ictum quoad praxin iterque eruditum ulterius requiruntur, subsidia largissima manu suppeditare, et praeclara denique studia praeclaris praemiis coronare dignetur. Vale, Lector Beneuole, SCHMIDIO-  
que nostro faue. Scribebam Argentorati D.  
IV. Maii Anno Xϰisoyovias MDCCI.

A 3

B. C. D.

B. C. D.

**I**Nter argumenta, quae iuri publico cum iure civili priuato communia quidem, sed ita sunt, vt tamen in iisdem iuris, priuati regulae vsum officiumque suum saepius perdant, etiam illud, cuius titulo pagellas hasce insignitas vides L. B. haud postremum sortitur locum; de quo, cum et rarius sit, et manifestam in vita civili contineat vtilitatem, ea, quae vides, secundum analogiam iuris priuati, respiciendo simul pro re nata ad aliorum iurium principia, consignare placuit; non quidem eo animo, vt plenam omnique numero perfectam argumenti huius tractationem exhiberem (id enim nec ingenii mediocritas, nec pagellarum angustia permittebat) sed vt Colloquio Academico, quod peracto in Collegiis studii iuridici cursu, pro more recepto instituendum fuit, occasionem ansamque aliquam praeberem; Adsit auxilio suo DEVS, Lectorque Beneuolus instituto faueat.

I.

**T**erritoriis inter gentes populosque secundum naturae rationalis ac socialis praeceptum semel diuisis quaelibet vniuersitas eamue repraesentans territo-  
rii

rii dominus id quidem iuris habet, vt sibi soli de omnibus rebus in territorio suo existentibus disponere liceat, caeterique omnes aliarum inprimis regionum possessores ab iisdem rebus sese abstinere teneantur. Sicut enim territorii dominus fundatam habet iurisdictionem in omnibus, quae territorii finibus continentur, vid. *Gail. l. II. O. 62.* ita qui in alieno actus aliquos exercet, territorium violare dicitur *Iaf. l. 1. Conf. 146. n. 40. Gail. de P. P. c. 16. n. 27. seqq.* Et haec regula est. Cum autem vtilitas ac necessitas generis humani non patiatur, vt plane nulla sit rerum nostrarum cum aliis communicatio; hinc contingit, vt ex lege humanitatis ac societatis ciuilibus, in specie vero vicinitatis, de qua *Pufend. I. N. & G. IV. 8. II.* alteri in alterius territorio certa quaedam iura concedi quasi debeant soleantue.

II.

Hic vero non est existimandum, ac si istiusmodi, iurium concessio cum natura domini territorialis pugnet. Nam sicut in iure priuato dominium est totum aliquod ius integrale, multis particulis siue iuribus integrantibus constans, id quod solide ostendit *Magnif. Dn. Schilter, Ictus famigeratissimus, Patronus ac Praeceptor omni honoris cultu perpetim prosequendus in Manud. ad Iurisprud. c. VIII. §. 62.* ita et iure publico imperium dominiumque territoriale (s. summum, s. subordinatum, quale statuum imperii) est totum aliquod ex multis partibus siue iuribus compositum. *Ziegler. ad Grot. de I. B. et P. I. 3. §. 20.* Quae porro iura vel coniunctim quis in suo territorio habere potest, ac  
tum

tum plenum territorii sui dominium habere dicitur; vel ita vt haec illaue pars v. gr. ius vtendi fruendi, ius conducendi, foralicii constituendi etc. a pleno isto dominio sit separata ac in alium translata. Ita translatio autem vel ita fit, vt transferens omni iure se abdicet; et alterum quoad istud ius partiale in ipsam societatem superioritatis recipiat; et tunc non tam seruitus, quam publicum quasi condominium quoddam constituitur; vel ita, vt id ipsum ius quidem, quod hactenus territorii dominus *in suo* exercuit, transferatur in alterum, sed ab hoc non iam eodem titulo, sed vt *ius in alieno* exercendum. Hic posterior modus transferendi huc pertinet, qui inferiorem longe iuris gradum ponit in accipiente, quam in transferente, talemque, qui superioritati e. gr. territoriali haud parit praecudicium; diceres, *materialiter* quidem respectu vtriusque idem ius esse, sed non *formaliter*.

## III.

Ostenfa iuris publici seruitutum **ORIGINE**, prius quam ad definitionem progredior, pauca ratione **NOMINIS** ac appellationis praemittenda erunt. **SERVITVTVM** igitur nomine hic veniunt specialia emolumentae, commoditates *c. nemo X. de Simonia*, quas dominus territorii alteri ex territorio suo debet. Dicuntur alias *Absonderliche Rechten, Gerechtigkeiten, Nutzungen*. *Instr. Pac. Caesareo-Gall. §. Rex tamen praeter 76. des Heil. Röm. Reichs Dienstbarkeiten in Cap. Leop. §. 32.* Ex parte autem eius, cui illae debentur, **IVRA IN ALIENO TERRITORIO** vocari solent. Vbi per *ius* nil aliud intelligitur, quam facultas  
mora-



moralis aut conditio rei, vti dicitur in *D. l. 23. §. 2. de S. P. R.* Territorii verò vocabulum, de quo, vnde descendat, vti Scriptores variant, v. *Gotthofr. ad l. pupillus 239. §. 8. de V. S. lit. C.* ita varias quoque ei attribuunt significationes vid. *Knichen. de sublim. territ. iur. c. 1. n. 3. 13. 17. 1299. et 1300.* hic eo potissimum sensu accipitur, quo *Meichsner. T. 2. l. 1. dec. 6. n. 50.* illud accepit, denotatque omne terrae spatium iurisdictione ac imperantis potestate munitum, siue intra s. extra imperium regnumque R. G. situm, nec interest, an monarchica, aristocratica, popularis vel mixta regiminis forma ibi sit introducta, dummodo exinde Respublica R. G. eiusque Proceres vel seruitutes acquirere vel illi constituere possint.

IV.

Sed missa vltiori Onomatologiae cura ad seruitutum nostrarum DEFINITIONEM accedimus. Definiri itaque illae possunt, et quidem ex parte eius, cui debentur, quod sint iura in alieno territorio certam commoditatem atque vtilitatem capiendi, et consequenter prohibendi, ne dominus ex territorio suo istam ipsam vtilitatem vel plane vel solus percipiat, aut iura haec exerceat. Cum autem seruitutes sint ex iis, quae correlata dicuntur, hinc et ex parte domini seruiantis recte describi solent, quod sint obligationes alteri ex territorio suo certam vtilitatem aut ius concedendi, vel in alterius emolumentum ab vsu rei suae abstinendi. *Pufend. I. N. et G. IV. §. 6.* Vtilitatis vero appellatione quid in hac seruitutum materia intelligi debeat, perspicue ostendit *Illustris Dn. D. Schragius, summi in Germania, quod Wezlariae est, Tribunalis*

B

Asses-

*Affessor, Patronus ac quondam Praeceptor in acuum deuenerandus in Introd. in Institut. tit. de Seruitut. §. 7.* Porro ex allatis definitionibus confestim patebit omnia illa iura, quae precario, beneficiario, familiaritatis aut amicitiae nomine concessa sunt, inter seruitutes referri non posse, quamuis hunc in modum aliena re per longissimum tempus quis vsus fuerit *Carpz. p. 2. c. 4. d. 14. add. l. 41. D. de A. vel A. P.* Exemplum huiusmodi iuris precarii in alieno concessi illustre adducit *Amplissimus Dn. Artopaeus in diff. inaug. in qua de I. P. seruit. erudite agit* utique, sed tantum *in genere §. 10. ex instrumento, quo Comitibus ab Eberstein inter alia ius Albergariae in Monasterio Albae (Herren Uss) precario constitutum esse cernitur.*

## V.

*Iuris* DIVISIONES seruitutum quod attinet, variae dantur; aliae enim sunt *affirmatiuae*, aliae *negatiuae* vid. *Frantzk. ad §. 1. I de Seruit. n. 2. et Grot. de I. B. II. 15. 6. n. 3.* ubi negatiuarum exempla habet. Aliae deinde *continuae* aliae *discontinuae*. v. *Eckolt. ad D. de Seruitut. §. 1.* Inprimis vero hic considerantur, quatenus aliae sunt *personales*, aliae territoriorum s. *reales*, prout nempe certa utilitas debetur aut personae immediate, siue illa territorium aliquod habeat, siue non; aut ipsis territoriis. Dicitur autem utilitas deberi territoriis, non quod non omnis utilitas tandem in personam redundet, sed quia quaedam non alii obuenit, quam qui certi territorii est possessor. *Grot. I. B. I. 1. 4. conf. l. 32. §. 1. in f. D. d. S. P. V.* Reales hae seruitutes uti iure priuato diuiduntur in rusticas et urbanas, ratione praediorum, quibus debentur *arg. l. 10. D. de Statu hom. §. 3. I. de Seruit. ita*

et iure publico, quia territoria rationem atque analogiam habent praediorum vel rusticorum vel urbanorum, aliae possunt dici *rusticae*, aliae *urbanae*. *Per-Ilustris Rhetii Instit. I Publ. l. 2. t. 28. §. 2.* quae tamen seruitutum differentia tantum est accidentalis; hinc pro ratione territorii dominantis vna eademque specie seruitutus modo potest esse rustica, modo urbana. *l. 2. de S. P. R. et l. 2. de S. P. V.*

VI.

Rusticarum seruitutum species sunt: **IUS TRANSITVS MILITARIS**, **Durchzug frembder Kriegs- Völcker**, quando per alterius territorium multitudini armatae transire licet. Quam autem *Grot. de I. B. II. 2. 13. seqq.* aliique transitum Militarem inter res innoxiae vtilitatis et quidem ita referunt, vt si ex iusta causa postulanti a domino ditionis negetur, etiam vindicari queat; dicere quis posset minus recte hoc ius inter seruitutes recenseretur, cum ad id exercendum, quod iure naturali competit, seruitute constituta non sit opus. Hic equidem vera vtrique sunt ea, quae *B. Boecler. in Comment. ad Grot. l. c.* obseruat, quod nempe hac de re aliter Philosophi disputent, aliter sentiant populi gentesque in ipso vsu vitae humanae: nemo enim dubitat, quin liceat sibi armatorum transitum impedire, si possit; sicut omnes ex diuerso credunt, licere sibi, si possunt transitum vi aperire; Quoniam tamen magna est differentia inter ea, quae a gentibus iure Gentium externo fieri solent, et illa, quae iure gentium interno et in foro conscientiae valent; hinc etsi gentes hanc controuersiam saepius armis de-

B 2

cidere

cidere malint, non inutile tamen erit, si et de iure inquiratur. Pace itaque tantorum virorum statuo, hoc transeundi ius INVITO domino, nec constituta SERVITUTE non competere. Quod Grotii rationem attinet, qua contrarium euincere cupit, dico, illam ex hactenus inconcesso de primaeva communione principio fluere, adeoque quale principium, talem etiam esse conclusionem inde deductam. Sed nec cum aliis facere possum, qui ex lege humanitatis potius atque iure societatis uniuersalis alteri transitum innoxium ex iusta causa petenti concedendum esse volunt, vid. *Kulpis in Coll. Grot. l. c.* nam neque tam facilis semper est diiudicatio, an ex iusta causa transitus petatur: deinde quo iure tertius inter duas partes belligerantes ultro sibi iudicium aut arbitrium arrogabit? pari enim in parem nulla competit potestas *l. 14. D. de iurisdic.* ad haec etsi saepe innoxii petantur transitus, quam parum tamen esse soleant innoxii ex veteris recentiorisque aevi historia abunde constat. *conf. Tac. 2. Hist. 12. § 87. Comineum l. 6. c. 2.* Quod in specie transitum Militarem Statuum Imperii per alterius status territorium concernit, denegari equidem ille nequit, si certae adsint conditiones. *R. I. 1641. §. Durchzüge 43. R. I. 1654. §. Nachdem auch. c. 178.* longe tamen fortiori iure gaudebit ille, cui seruitute constituta ius transeundi acquisitum est.

## VII.

In alieno etiam IVS CONDUCENDI seruitutis nomine competere solere, et Auctores vid. *Oertinger de iur. lim. l. 1. c. 9. n. 24.* et exempla testantur. Sic Elector Palatinus ius conducendi exercet durch die Ober-

Ober-Gravität Cazenellenbogen von der Bergstraf  
 an biß Franckfurt, item in der Marggravität Ba  
 den biß gen Pforzheim. *Burgold. P. 1. D. 26. membr. 2. n.*  
*13. et Hassiae Landgravius per Wetteraviam vsque ad*  
*speculam Francofurtanam biß an die Franckfurter*  
*Wart. Dn. Rhet. I. P. l. 2. t. 13. §. 2. Dn. Fritsch. de viis*  
*reg. c. 12. n. 9.* Conducuntur autem vel priuati, inpri  
 mis nundinarum tempore Mercatores, inter quos etiam  
 Iudaei comprehenduntur *R. I. 1551. §.* diesem zu bege  
 nen *re. ibi:* doch sollen den Juden; vel Principes aliae  
 que personae illustres, quod das Leib-Geleit dicitur, *Se-*  
*ckend. im Fürsten-St. P. III. 3. 1.* idque alibi datis lite  
 ris fit, *Schrißlich Geleit*, alibi adhibito comitatu, *leben-*  
*dig oder persönlich Geleit. Linn. A. B. c. 1. O. 12.* Cae  
 terum maximae ratione huius iuris oriri solent contro  
 uersiae praecipue wegen der Geleits-Grängen, vid.  
*Knichen. de Sax. non prou. iure c. 5. n. 103.* vbi et hanc affert  
 cautelam: Si conueniri nequeat, Principem conducen  
 dum in prima cohorte suos mittere equites, postmo  
 dum concertatores subsequi, vt hac ratione actus neutri  
 praeiudicare possit. Huic conducendi iuri alia iura  
 saepe annexa cernuntur, veluti *IVS VECTIGA-*  
*LIVM*; qua occasione nobilis illa quaestio mouetur:  
 an dominus der zu glaiten hat, soluto vectigali depraed  
 atis de damno resarciendo teneatur? quam sub certis  
 conditionibus affirmo tum *per R. I. 1555. §.* Nachdem  
 aber. *R. I. 1559. §.* damit dann die Obrigkeit, tum per  
 praeciudicia Cameralia vid. *Rosenth. de feud. c. 5. concl. 22.*  
 Ius indagandi, persequendi et conquirendi securitatis  
 viarum ac fluminum infestatores das *Streiff-Recht*  
 quoque huc spectat, vti et *IVS COERCENDI*

**CRIMINA** auf Geleits- und Land-Strassen admiffa, etfi ciuitas imperialis vel alius status circumcirca omnimodam habeat iurisdictionem. Sunt tamen, qui hoc ius ad ea tantum delicta, quae in ipfo actu **des Blaitens** fuerunt commiffa, restringunt, vid. *Speidel. v. Blait, Blait-Herrlichkeit*; verum recte simul inibi monet, vsum consuetudinemque locorum in hifce omnino obseruandam esse.

## VIII.

Inter has feruitutes locum quoque habet **IVS FODINARVM** auri, argenti, cupri, ftanni, ferri etc. **SALINARVM** aliorumque **MINERALIVM** pretioforum in alieno territorio ad territorii dominantis vtilitatem, siue deinde illae fodinae reperiantur in fundis publicis f. in priuatis: nec mouet *l. 7. §. 14. D. sol. matr.* quam nonnulli in contrariam partem adducunt, vid. *Struu. S. I. Feud. c. VI. aph. 26. n. 1. et quos citat.* Nam ista iuris Romani principia aliae gentes, inprimis Teutonicae, non agnouerunt, sed metallifodinae, salinae etc. Vniuerfitati ac summae reip. potestati manserunt. *Dn. Vitriarii I. P. l. 3. tit. 18. §. 29. et 30.* Hinc Regalibus nostro iure accensentur *2. F. 56. et Constit. Henrici VI. apud Goldast. Tom. 3. Const. Imp. f. 362.* et regulariter ad Principes iure territoriali pertinent, ex quorum deinde concessione f. expressa f. tacita alii vti variis titulis ita et inprimis qui huc spectat titulo feruitutis sibi fodinas acquirunt; Sic, vt vel vnicum huius tituli exemplum adducam, Comes Hohensteinensis respectu Vogteiae Walckritt auri argentique fodinas ac caetera Metalla sibi vindicat. *Conf. Wehner. Obs. Pract. voce Bogthey.* De caetero huc etiam

etiam referendum est, **IVS AVRI FLVVIATILIS IN RHENO LEGENDI**, quale Electori Palatino a Manhemio vsque ad pagum **Selg** exercendum adscribit *Sprenger in Iurisprud. publ. p. 417.*

IX.

Uterius occurrit seruitus **FORESTI** ac **VENATIONIS**, quae territorii vicini possessoribus debetur aliquando coniunctim, vti e. gr. Duci Würtembergico in quibusdam Vicinorum Imp. Statuum territoriis teste *Myler. de Princ. et Stat. p. 2. c. 75. n. 13.* et tum iurisdictio forestalis dicitur **Forstliche Obrigkeit**, aliquando separatim vid. *Ruland. de Commiss. P. 4. l. 2. c. 8. n. 43.* inter ius enim forestae et inter ius venandi magnum est discrimen *Besold. Thes. Pr. voc. Forst*, idque ex diuersis effectibus diuersisque officiis potissimum cernitur. Cui competunt forestalia, **Forstereyen**, **Forst-Bann** ille habet ius circa syluas et arbores, vi cuius potest condere Statuta saltuaria, **Wald- und Forst Ordnungen**, lignandi atque pascendi vsu aliis concedere, excisionem arborum forestae nociuarum prohibere, iudicia forestalia celebrare, **Wald-Gerichte halten** &c. Conf. *Meichsner. T. 2. dec. Cam. l. 2. d. 2.* Vt eo meliori in statu omnia conferuentur, quae ad forestae vtilitatem spectant, constituti sunt varii officiales saltuarii, **Ober-Forstmeister**, **Forster** und **Forst-Knechte**. At qui separatim venandi seruitutem constitutam habet, vti e. gr. Episcopus Würtzburgensis im **Steigerwald** teste *Sprenger. Iurisprud. publ.* ille iure inuestigandi, prosequendi et capiendi feras gaudet, aliquando non tantum

audiri

tum in sylvis alterius, sed etiam in agris, in und auffer den Hölzern mit Büchsen, Seilern, Stricken, aliisque quibus libuerit modis. Venationi praeficitur der Jägermeister, cuius officium consistit in sollicitè curandis ac ordinandis iis, quae venationi inseruiunt atque conueniunt. Ratione obiecti seruitus venandi alia potest esse maior, Hohe Jagd, Haupt-Wild-Fuhr, qua feras maiores, alia inferior, Nieder-Jagd, klein Wende-werck, qua feras minores in alieno venari licet. Alicubi cum inter feras maiores minoresque dentur dubii generis, media species adiicitur caprearum, capreolorum, aprorum minorum, Mittel-Jagd der Rehe und Reheböcke &c. Sed variant hic locorum consuetudines. Habetur autem ius venandi vel excluso domino territorii seruiantis vel simul admissò quod vocant die Koppel-Jagd. Interdum seruitus venandi extenditur etiam ad AVCVPIVM in alieno territorio, structionem areae, Vogelwend und Vogelheerd zu schlagen, vid. Meurer. Vom Jagd- und Forst-Recht p. 3. f. 55. sqq. imo et ad IVS PISCANDI in alienis fluminibus ac riuis, ita Electorem Palatinum sibi vindicare ius piscandi in flumine Weich, qua territorium Landauienfè perfluit, refert Klock. p. 1. Conf. 29. num. 243.

## X.

Pergendum est ad Seruitutem LVSTRATIONIS, Musterung, quae est ius lustrandi alterius territorii subditos eorumque arma, den Unterthanen die Wehr und Waffen aufzulegen, R. I. A. 1555. §. und demnach item in certas cohortes alterios subditos diuidendi, eosque per centuriones aliosque officiales statis temporibus



ribus in armis exercendi, iniungendi vt arma habeant parata, vt, quando opus est, iis rite instructi compareant. *Dn. Rhet. I. P. II. 2. 29.* Cui lustratio, illi vt plurimum etiam **IVS SEQUELAE** competit, interdum tamen separatim habetur, quod exemplo comprobatur *Myler. de Princ. et Stat. Imp. p. 2. c. 79. n. 7.* Sunt quidem qui hoc ius euincere autumant superioritatem territorialem, et subiectionem inferre, sed potest vtique et alio titulo competere, vid. *Speidel. voc. Folg. n. 3.* Varias alias sequelae species dantur, veluti **Heer-Folge**, **Feuer-Folge**, **Gerichts-Folge**, **Amts-Folge** &c. de quibus *Dn. Fritsch. de iure lustr. et sequelae V. 1. 9.* Heic vero seruitus sequelae est ius alterius subditis indicendi, vt territorii dominum sequantur in bellum offensiuum et defensiuum; etsi dubitent de iusta bellum gerendi causa, *Strui. S. I. F. c. XI. aph. 7. n. 2. conf. §. 8. Capit. Leop. ibi: Daß in Sachen Hoher Lands Fürstl. Obrigkeit und Regalien als in specie iuris collectarum, sequelae etc. nisi bellum sit notorie iniustum. Grot. I. B. II. 26. §. 3.* Exemplum talis seruitutis per transactionem constitutae Protectori ex illustri domo Lympurgica petitum habet *Mager. de Advocat. arm. c. 10. n. 152. et 167.* In plerisque Germaniae provinciis, vti regulariter non omnes subditi dominum suum territorialem sequi tenentur, sed certa tantummodo pars, quam selectum s. **den Land-Ausschuß** vocant, *Dn. Schweder. I. P. Part. Spec. Sect. 2. c. 16. §. 6.* ita nec plus iuris ille sibi vindicare poterit, cui seruitutis nomine hoc ius acquisitum est, nisi aliud actum pactumque fuerit.

XI.

In numero harum seruitutum quoque sunt Seru.

C

ALBER-

ALBERGARIAE, der Ausspann, Azungs Ge-  
 rechtigkeit, quando territorii dominantis possessori eius-  
 que Comitibus aduenientibus a territorii seruentis in-  
 colis, interdum simpliciter, interdum certo modo, vid.  
 exempla apud *Wehner. v. Schauen* hospitium, esculenta  
 atque potulenta debentur. Plura de hoc iure lectu digna  
 in *Per-Illustr. Binderi diff. de iure Alberg. an. 1668. hic habi-  
 ta*, occurrunt. Ab albergaria differt **SERVITVS**  
**HOSPITII**, vi cuius quis alterum gratis hospitio tan-  
 tum excipere tenetur, einen unter Dach und Fach neh-  
 men, non autem ad cibum et potum praestandum ob-  
 ligatus est. vid. *Klock. de contrib. concl. 56. sq.* **IVS**  
**WILDFANGIATVS** seruitutis rationem habet,  
 quando consideratur vt ius Electori Palatino in certis  
 Palatinatui maxime adiacentibus terris competens, vi-  
 gore cuius alienigenam in istis terris per annum et diem  
 domicilium figentem, vel cum adscriptitia matrimonium  
 ineuntem, in hominem proprium qui Wildfang dicitur,  
 accipit. Controuersia equidem Electori Palatino huius  
 iuris nomine mota fuit, prout testantur acta desuper edi-  
 ta et *Tract. de iustitia causae Palatinae*, sed pro Palatinis  
 partibus denique laudum cecidit. *Oldenb. in Notit. Imp.*  
*P. 2. Disc. 26. num. 8.* **IVS DECIMARVM** s. Ecclesia-  
 sticarum s. secularium 1. *Sam. VIII, 15. 17.* et *Lehm. Chron.*  
*Spir. l. 5. c. 67. §. 7. et 8.* **Gerechtigkeit**, quando in alterius  
 territorio ex agrorum fructibus vel quibusuis et quoties-  
 cunque natis *Carpz. l. 1. def. Eccl. 131. sqq.* vel certis alteri  
 debetur pars decima. **IVS MOLENDINI** ac **FVR-**  
**NI BANNARII**, Mühlen oder Backhaus, wann  
 Dorffschafften in eines andern Herrschafft bezwinglich  
 zu mahlen und zu backen pflichtig. *Eti enim ex l. 15. §. 1. 7.*  
 ALBERGARIA  
 de

de Seruit. dici posset, Seruitutum naturam non consistere in eo, vt quis ad aliquid quoque faciendum cogatur, id tamen non impedit, quo minus dicta iura Seruitutes recte dicantur; lex enim ista ex peculiari ratione ciuili, libertate nempe Quiritum deriuanda est, vt docet *Magnif. Dn. Schilter. Exerc. ad 7. XVII. 9. 14. sqq.* adeoque minus commode ad mores hodiernos applicatur, cum Seruitutum Natura praxi Germanica etiam ad aliquid faciendum fuerit extensa. conf. *Carpz. 2. c. 41. d. 13.* **IVS PATIBVLI** seu **FVRCAE ERIGENDAE** in alterius territorio, quod etsi saepe meri imperii signum sit. *Gail. 2. O. 60. n. 5.* non tamen semper a iure erigendi furcas ad iurisdictionem criminalem, vel vice versa argumentari licet. *Meichsner. Tom. 2. l. 1. dec. 4. n. 159.* hinc interdum pluribus circa criminalia competit iurisdictionio, vni vero ex illis executio ac furcas erigendi facultas, et tum aliud est iudicare, aliud **den Blut-Bann und Execution haben.**

## XII.

Quamuis plures sint, quae iam dictis addi possent, seruitutes, instituti tamen ratio nunc non permittit, vt prolixior sim; id tantum adhuc dicendum est, etiam illas seruitutes, de quibus alias in iure priuato agitur, ad hunc censum pertinere, veluti **IVS PASCENDI ET COMPASCVORVM** inter diuersi territorii incolas, vid. *Speidel. v. Waid, Waidgang, &c. Coppelwaid*, qui plura vtilia collegit. **SERVIT. ITINERIS, AQAEDVCTVS** etc. Nam non tantum priuati sed et ipsi domini territoriales haec iura persequendi facultatem habent. *Ampliff. Dn. Schilter. I. P. T. 1. l. 2. tit. 3. §. 1.* Caeterum se-

mel hic monuisse sufficiat, omnia, quae iam descripta sunt iura, considerari, quatenus in alieno ad territorii dominantis vtilitatem concessa sunt, certum enim vtique est, si simpliciter et nullo ad territorium dominans respectu habito considerentur, vsuifruetui potius annumeranda esse, vid. l. 3. §. 5. §. 6. π. de S. P. R. quin et aliis plane et diuersis a seruitute titulis competere posse, quod supra dictum.

## XIII.

Progrediendum nunc est ad Seruitutes *Vrbanas*, vbi occurrit: **SERVIT. f. IVS FORTALITII EXTRVENDI** ex quo alteri territorio officii possit. Verum si quis dicat ex libertate naturali et vi potestatis suae territorialis cuilibet domino licere in territorio suo fortalitium extruere *arg. l. 8. C. de Seruit.* etiamsi exinde vicinis aliquando damnum immineat; his enim aduersus tales metus itidem iure libertatis naturalis integrum esse contraria in suo solo munimenta aedificare. *Grot. de I. B. et P. II. 22. 5.* Huic regeritur, ea vtique vera esse, sed ita demum, si ista libertas naturalis nullo pacto fuerit ademta aut restricta, iam vero saepius pactionem quandam intercedere de non extruendo fortalitio inuita altera parte, hic vbi deinde per aliam pactionem prior tollitur et vicino extruendi facultas conceditur, acquisita est haec seruitus vid. l. 2. §. 2. *C. de aedif. priu. Strauch. diff. ad I. Iust. VII. aph. 18.* nec nostra sententia infringitur, etsi vltius dicatur, hac ratione nouam seruitutem non constitui, sed ante constitutam tolli, et sic nil aliud quam pristinam libertatem restitui. Nam praeter veterem libertatem etiam hoc acquiritur, vt vicinus non possit contra extruere

truere, sed teneatur pati, vt alter solus fortalitium habeat, conf. *Coll. Iurid. Arg. de S. P. V. 9. 27.* Atque haec de seruitute seu eo iure, quando in suo solo fortalitium extruere licet; Sed nonnunquam competit quoque **IVS FORTALITII EXTRVENDI IN ALIENO SOLO** et tum ex parte seruiantis describitur, quod sit obligatio, qua quis in suo territorio pati tenetur, vt alter ibi in territorii dominantis vtilitatem fortalitium constituere possit; id quod citra constitutam et acquisitam seruitutem haud licet, neque si massam tuae terrae alieno solo imposueris, sicque ipsi inaedificaueris, qua fraude vsum olim Ludouicum Thuringiae Landgrauium, refert *Limn. in Add. ad lib. IV. Iur. publ. c. 8. n. 238.*

XIV.

Sequitur **SERVITVS NON EXTRVENDI FORTALITII**, quae est, quando in primis prope fines alterius territorii alter fortalitium habere prohibetur. *Grot. de I. B. et P. II. 15. 6. n. 3.* Certa interdum constitui solent locorum spatia, intra quae in suo solo munimenta quis habere nequit. Sic multae ciuitates imperiales, teste *Gail. 2. O. 69. n. 24.* eo iure gaudent, ne vicinis intra vnum vel duo vel plura miliaria prope ciuitatem fortalitium extruere liceat. Ita Spirensi ciuitati priuilegium concessum est; **Daß niemand inwendig drey Meilen umb die Stadt zu Speyer keinen Bürgerlichen Bau, ohne Laubung, Willen und Verhängnus der Stadt und der Bürger, bauen machen oder aufrichten soll ic.** Lautius adhuc est, quo Patria mea instructa est, priuilegium, eius enim tenor est, **Daß keine**



Burg noch Festung innerhalb fünf Meilen um  
 Frankfurt soll erbauet werden, *Limn. de I. P. l. 7. c. 16.*  
*n. 17.* Haec seruitus non extruendi fortalitii realiter di-  
 stincta est a serv. extruendi fort. Etsi enim haec po-  
 sterior seruitutem non extruendi fort. includat, hoc  
 tamen fit non directo et formaliter sed virtualiter et per  
 consequentiam, vid. *Struu. S. I. C. Exerc. 13. §. 12.* et *Dn.*  
*Svend. ad Eckolt. de Serv. P. V. §. 10.*

## XV.

IVS PRAESIDIUM IN ALIENA VRBE et excu-  
 bias agendi. Cuius exemplum praebuit ex vigore In-  
 strum. Pac. Westph. Philippoburgum, in quo Regi Gal-  
 liae hoc ius concessum erat; sed hodie haec aliam for-  
 mam cepere. Hoc iure qui gaudet, tenetur suis, non  
 autem civium vrbis impensis alere praesidiarios milites,  
 cibariorum enim impensae naturali ratione ad eum per-  
 tinent, qui utendum accepit *l. 13. §. 2. n. commod.* deinde  
 non competit ipsi imperium aut iurisdictio in incolas  
 eius vrbis, qui enim ius praesidii in vrbe habet, non sta-  
 tim est dominus vrbis: quamvis de facto et plerumque  
 accidere soleat, ut is, qui ius praesidii habet, praeser-  
 tim si potentia multum antecellit, paulatim imperium in  
 vrbis incolas vsurpet. *Grot. de I. B. et P. I. 3. 21. n. 10.* Plu-  
 ra de hoc iure vid. apud *Dn. Fritsch. de iure praesidii et*  
*excubiis.*

## XVI.

Quod si alterius civitas, castrum aut fortalium vel

vel belli vel pacis vel utroque tempore vicinarum vr-  
bium etc. possessoribus apertum esse debet, IVS APER-  
TVRAE IN ALIENO acquisitum est. Huc spectat  
die Oeffnung der Gefürsteten Graven von Zollern in  
ihren Gütern gegen einander, vbi inter alia et haec clausu-  
la addita est, daß der so Oeffnung giebt, des andern so  
Oeffnung begehrt zu Recht und aller Billigkeit mäch-  
tig seye, und wann der so Oeffnung einnimbt, Früch-  
ten, Pulver oder anders, so im Schloß ist, zu der Noth-  
durfft gebrauchen würde, soll ihm der Inhaber selb-  
igen Schlosses solches Pulver re. da er es derselben Zeit  
entbehren kan vergunnen, ita tamen vt accipiens in-  
tra annum ea, quae accepit, suis sumtibus restituat *Be-  
sold. v. Oeffnung.*

Hoc ius quamuis ad belli pacisque  
tempora sese extendat, nonnunquam tamen ad pacis tan-  
tum tempus restringi solet, ita *auctor deductionis iustitiae  
extructionis des Wallbaues zu Udenheim fol. 135. §. all-*  
*hier* scribit, daß alle Rechts-Gelehrte einmüthig schlies-  
sen, daß dieses ius aperturae nur tempore pacis, vbi  
sine metu et praeiudicio quis tuto excipi potest, zu ge-  
statten, gar aber nicht auf gefährliche Kriegszeiten zu  
extendiren oder zu verstehen seye. *Dn. Fritsch. de iure  
aperturae c. 3. n. 30.* verum haec et alia ex tenore pacto-  
rum diiudicanda sunt.

XVII.

Seruitus NE EX TERRITORIO VICI-  
NO PROSPECTVI OFFICIATVR tum con-  
stituta est, quando vicinus prohibetur ne quicquam  
obiiciat ad minuendum praesentem etiam acquisitum et  
quaqua

quaqua versus liberum prospectum ex territorio nostro, *conf. l. 15. m. de S. P. V.* a qua seruitute distincta est **SERUITVS PROSPECTVS**, quae respicit noui prospectus qui antea non fuit, acquisitionem, cui quidem etiam inest Seruitus ne prospectui officiat, sed non nisi per consequentiam v. *Dn. Schwend. ad Eckolt. de Seruit. P. V. §. 14.* Quae porro in iure priuato praeter alias seruitutes doceri solent de seruitute **LVMINVM ET NE LVMINIBVS OFFICIA TVR**, et qua ratione hae seruitutes a seruitute prospectus et ne prospectui officiat, differant, ea pleraque omnia ad iuris publici seruitutes applicari poterunt, sicut cum aliis quoque censet *Illustr. Dn. Rhetius I. P. II. 23. 1.*

## XVIII.

Seruitutes hae **CONSTITVVTVR** ab iis, qui alienandi habent facultatem *l. f. C. de reb. alien. non alien.* vti sunt territoriorum domini. Verum cum dominorum conditio non sit vnusmodi; hinc alii pro lubitu quibuscunque velint, nullius requisito consensu seruitutes constituendi ius habent; alii id agere nequeunt, nisi vel statuum suorum vel domini superioris aliorumque consensum adhibeant. Qui est summus imperans et iure allodii s. patrimoniali, vti *Grot. de I. B. I. 3. 11.* dicitur, territorii alicuius dominus est, ille omnis generis seruitutes liberrime concedere potest. Imperator, vti bona imperii solus sine consensu Electorum alienare nequit, per *art. 9. Capit. Caroli V. et art. 12. et 30. Capit. Leop.* ita nec seruitutes in iis constituere poterit. Electores, quantum ad Electoratus itidem seruitutes constituere nequeunt

arg.



*arg. A. B. c. 20.* Caeterum Principes ac status imperii in territoriis, quae iure allodiali possident, liberam habent seruitutes constituendi facultatem, ita tamen ne aemulis, aut hostibus, aut in praeiudicium imperii illae constituantur. vid. *Seckend. im Fürsten-St. P. 2. c. 2. ab init.* in feudalibus vero non aliter nisi ad tempus sine praeiudicio domini ac successoris, impositio valet *per text. 2. F. 8.* Cum vero illustres imperii Vasalli respectu habito ad antiquiora tempora aliosque Vasallos longe maiori hodie gaudeant potestate, adeo ut Principatus, Ducatus, Comitatus etc. cum sublimi territorii iure possideant; hinc constitutiones iuris Longobardici de alienationibus rerum feudalium non ex omni parte ubique obseruari solent. *Struu. Synt. Iur. feud. c. XIV. aph. 29. n. 5. add. Consultiff. DN. Artopae. d. diff. §. 27.* ubi et ad exempla liberiorum alienationum a Principibus factarum remittit.

## XIX.

Episcopi, Praelati aliaeque personae Ecclesiasticae territoria Ecclesiastica possidentes ob necessitatem aut euidentem vtilitatem aliamue causam probabilem, *can. 12. q. 2. c. 51. et 70. cap. 1. X. de reb. Eccl. non alien.* cum consensu capituli, causa tamen prius in iudicio Ecclesiastico cognita, et decreto, si opus, impetrato *c. 12. q. 2. can. sine exc.* seruitutes constituere possunt. Foeminae illustres; ut reginae, Principissae, Comitissae, sicut ius alienandi absque vllis curatoribus habent *vid. Carpz. P. 2. c. 15. d. 19.* ita et iure seruitutes constituendi gaudent. Caeterae illustres non nisi adhibito curatorum suorum consensu.

D

XX.

## XX.

Quemadmodum iure priuato non tantum a domino, sed et a iudice seruitus constituitur in iudiciis diuisionibus *l. 22. §. 3. fam. hercisc. l. 7. §. 1. comm. diu.* aut si ad praedium suum nullus patet accessus *l. 1. si usufr. per. ita et iure publico.* Vbi tamen aliud inter eos Principes obtinet, qui superiorem recognoscunt et qui non: illi secundum leges cuiusque regni fundamentales in diuisionibus iudices fortiuntur; Sic in Germania iudices Austregae, Camera Imperialis, Senatus Aulicus vel etiam per modum grauaminum ipsa imperii comitia. Qui vero non recognoscunt superiorem, si tractatibus amicabilibus, mediatoribus et arbitris seruitus necessario constituenda constitui nequit, iure belli aduersam partem adigere possunt, vt seruitutem constituat.

## XXI.

Acquirunt has seruitutes territoriorum domini *l. 8. Comm. praed. l. 15. §. f. π. de usufr.* pupillus ac minor ex titulo lucratiuo sine tutoris vel Curatoris consensu, secus est, si ex titulo oneroso *pr. I. de auctorit. tut.* Princeps, qui est furiosus, siquidem adhuc in potestate Patria constitutus per Patrem, sin sui iuris per curatorem seruitutes acquirit, *arg. l. f. C. de curat. furios.*

## XXII.

Pro ratione instituti consideratae fuerunt personae tum constituentes tum acquirentes; iam dicendum est de modis acquirendi seruitutes. Sunt vero tres siue actus siue modi, quibus veluti partibus integralibus Seruitutum  
con-

constitutio atque acquisitio regulariter constat; nempe promissio de constituendo: Constitutio ipsa: et quasi traditio. Promissionem atque constitutionem esse actus separatos ex *l. 136. §. 1. π. de V. O. patet, add. Struu. S. I. feud. c. VII. apb. 2. n. 1.* Quod vero et quasi traditio a constitutione differat ex *l. 3. pr. π. de usufr. innotescere potest. conf. DN. Schilter. Ex. ad π. XVII. §. 24. Promissio*, qua quis se obligat ad seruitutem alteri constituendam fit vel actu inter viuos, vel vltima voluntate, et quidem vel pure, vel sub conditionibus; oritur exinde ius ad rem et actio personalis s. condictio *l. 35. π. de S. P. V.* Promissionem insequitur ipsa seruitutis *constitutio*, quae de praesenti per causam et titulum s. lucratiuum s. onerosum facta, est declaratio seruitutem iam dum esse constitutam, quod iisdem modis, quibus promissio, fieri potest, atque exinde quoque nascitur ius ad rem et consequenter actio personalis ad exercitium consequendum seruitutis semel constitutae *v. l. 3. pr. π. de usufr.* Denique vt plenarie seruitus acquiratur, requiritur vt datio, *quasi traditio s. patientia* accedat, quae confert ius in re et obligationem realem, variaque contra impediētes quousis exercitium quaesiti iuris remedia tum petitoria tum possessoria. *Magnif. DN. Schilter. Exerc. ad π. XVIII. in f.*

XXIII

Haec de vera s. expressa seruitutum constitutione, sed datur etiam *praesumpta*, quae dicitur ea, quae ob continuatam alterius quasi possessionem per tempus legitimum de iure praesumitur facta fuisse a domino territorii seruiantis, cum credibile non sit, quenquam eius

D 2

quod

quod vult, longo tempore nullam edere significationem idoneam, *Grot. de I. B. II. 4. 8.* Variæ autem istæ formæ, quas siue præscriptio siue vsucapio à iure ciuili obtinuit, de quibus præter alios *Strauch in diff. ad I. Iust. VII. §. 20.* videri meretur, inter Principes non adeo obseruari solent, sed vt in aliis in iure publico ita et hic magis ad iura Naturæ et Gentium respiciendum est. Quantum ad temporis determinationem, iure Gentium nihil definitum est, nisi quod in genere statuat suffice- re tanti temporis silentium in domino, quantum ad repetendum ius suum probabiliter satis est alii non negli- genti et sufficienter ad repetendum instructo, intra quod si tacuerit, ius suum pro derelicto habuisse censëbitur. *Ziegler. ad Grot. l. c. §. 1. p. 252. Pufend. I. N. et G. IV. 12. 7.*

## XXIV.

Sicuti seruitutes certis modis constituuntur, ita et certi dantur modi, quibus iterum *amittuntur*. Et qui- dem ii modi, qui in iure ciuili priuato cernuntur huc fere omnes applicari poterunt. vid. *Strauch. diff. ad I. Iust. VII. §. 27. Et Eckolt. ad π. Quib. mod. seru. amitt. ibique DN. Schwendend.*

## XXV.

Hactenus de seruitutibus realibus, transeundum nunc est ad *personales*, vbi occurrit: *Vsufuctus*, *vsus* ac habitatio. *Vsufuctus* dupliciter considerari solet, vel prout iure dominii competit, qui causalis ideo vocari videtur, quia in proprietate tanquam in causa sua latet; vel prout a proprietate separatus specialem formam accepit, ac proinde *vsufuctus* formalis dicitur. Et hic posterior est huius loci, diuiditurque in *vsufuctum iuris communis* et *iuris Teutonici*. Ille est ius alieno ter-  
rito-

itorio vtendi fruendi salua ipsius substantia tam ciuili quam naturali, v. *Illustr. Dn. Schrag. Introd. in Instit. de vsufr.* §. II. Hic iuris Teutonici rursus subdiuiditur in eum vsumfructum qui *feudalis* vocatur, et in illum qui a marito illustri constituitur vxori superstiti ratione dotis illatae, ac *dotalitii* nomine venit. Vterque autem hic vsumfructus in eo paululum a regulari seruitutum natura recedit, quod dominium vtile coniunctum habeat. *DN. Schilter in I. P. Tom. I. l. 2. tit. 4. §. I. sq.* De caetero praeter vsumfructum verum LL. Romanae vtilitatis causa etiam *quasi vsumfructum* constituerunt §. 2. *I. de vsufr.* qui et iure publico inter personas illustres locum habet in rebus quarum vsus consistit in abusu, siue quarum substantia et proprietas naturaliter salua manere nequit; licet possit manere ciuilitate. *conf. l. 1. 2. 7. 11. π de vsufr. ear. rer.*

XXVI.

*Constituitur* vsumfructus iisdem modis, quibus seruitutes reales, de quibus supra. Inprimis autem *vltime voluntate*, vbi tamen obligatio et actio non nascitur ante hereditatis aditionem et mortuo interim legatario non transmittitur ad heredem, quia regulariter in concedendo vsumfructu meritum personae spectatur, quod in alium non transit. *l. 9. π. quando dies leg. l. 3. π. de vsufr.* Legibus Romanis Patri in bonis filiorum aduentitiis vsumfructus constituitur §. 1. *I. per quas pers. c. acqu. l. 6. pr. C. de bon. quae lib. secus est inter Principes et familias illustres, DN. Rhet. I. P. II. 33. 5.* Iure Quiritum acquiritur dominium fructuum perceptione s. facta separatione a solo *l. 13. π. quib. mod. vsufr. am.* Iure Teutonico tam priuato quam publico ob agriculturae fauorem maior seminis et culturae habetur ratio, adeoque vsumfructuarius moriens post confi-

animor

D 3

ta arua

ta arua nach Bestellung der Felder fructus futuros etiam ad heredes transmittit. *Celeberr. DN. Schilzer. ad I. de R. D. aph. 42.* Vsfusfructus praeter modos caeteris seruitutibus communes amittitur, banno imperiali, vti alia iura *Gail. 2. O. 86. 10.* Morte vsufructuarii, Remissione s. cessione domino proprietatis facta. Consolidatione cum proprietate, si vsufructuarius proprietatem rei acquisierit. *Quasi vsufr.* morte et banno imperiali extinguitur *arg. l. 9. et 10. π. de vsufr. ear. rer.* Ciuitati relictus, quae alias perpetua esse potest, centum annorum spatio finiri solet *l. 56. π. de vsufr.* vt et quasi morte, si interea ciuitas ista hostile aratrum patiatur. *l. 21. π. quib. mod. vsufr. am.*

## XXVII.

Vsus est ius ex certa alieni territorii parte commodum tantum quotidianum et necessarium percipiendi. Cui vero *Habitatio* competit, ille omne emolumentum ex inhabitatione aedium alienarum prouenire solitum percipit. Sicuti vsus ita et habitatio saepissime a maritis illustribus in pactis dotalibus constitui solet vxoribus in eum casum, quamdiu maritis sint superstites et in viduitate degant. *Besold. Thes. pr. v. Wittumstz.* Caeterum quia natura vsus ac habitationis et qua ratione inuicem ac ab vsufructu differant ex Institutis satis cognita, eaque omnia, quae ibi tractantur et in iure publico obtineant, *DN. Rbet. I. P. II. 29. 12.* ideo de his nolumus esse prolixiores, omittentes et ea, quae de *operis alienorum subditorum* ad analogiam operarum seruilium addi possent.

## XXVIII.

De origine, speciebus, personis constituentibus et acquirentibus, modis constituendi aliisque, quae ad iuris publ. seruitutes spectant, dictum fuit: iam de *actionibus*  
nomine

nomine seruitutum tam personalium quam realium competentibus, de quibus quidem supra generatim quaedam posita sunt, nonnulla tamen hic vltius adiicienda videntur. Et quidem praecipue ratione actionum realium, quae post acceptam seruitutum quasi possessionem dantur. Sunt illae vel confessoriae vel negatoriae. Actio *Confessoria* est, qua quis sibi vel territorio suo seruitutem competere intendit simulque eius declarationem et liberum contra quosuis impediens exercitium petit. §. 2. *I. de act.* In hac actione tam fructuum rationem habendam, quam id, quod interest, praestandum esse tam naturalis ratio, quam civiles leges dicunt. Actio *negatoria* dicitur illa, qua quis negat alteri vsum fructum vel aliam seruitutem in suo territorio competere, petitque vt territorium suum liberum declaretur, et alter ab istius seruitutis vsurpatione desistere iubeatur. Potest autem hac actione quis asserere territorii sui libertatem vel plenam omnino, vel restrictam: et haec quidem contra illum asseritur, qui plus iuris sibi vindicat, quam per seruitutis constitutae causam datum est, veluti si cui fortaliticium ad certum et definitum modum extruere permissum fuerit, et ille pro lubitu et vltra determinatum istum modum extrueret. v. l. 26. π. de *Exc. rei iud.* l. 4. §. 1. π. de *Seruit.*

XXIX.

Sunt et alia remedia, quibus de mera tantum quasi possessione Seruitutum agitur, eaque vel tuenda, vel acquirenda, vel recuperanda, vti sunt varia illa interdicta, iure Rom. proposita, de quibus v. C. I. A. ad tit. si vsufr. pet., θ. 7. 12. seq. et ad tit. si seruit. vind. θ. 16. 26.


XXX.

Cum vero interdicta Edictis Praetorum prodita nil aliud sint, quam *mandata*, qualia adhuc hodie emanare solent, *Frid. de interd. c. 14. per tot.* hinc quid ratione istorum mandatorum vsu fori obtineat, paucis adhuc videndum est. Mandata, quae hodie decernuntur sunt praecipue duplicia, vel *cum clausula* iustificatoria vel sine eadem. Illa regulariter obtinent, ab executione enim non est inchoandum *l. 1. C. de execut. rei iud. Gail. I. O. 13. n. 1.* et annexam habet ista clausula citationem euentualem, qua, si quis per mandatum se grauarum esse, causasque quare ei parere non teneatur dignas ac releuantes se habere existimat, simul citatur, vt in termino praefixo compareat etc. *Denais I. Camer. tit. 132. §. 1.* Mandata *sine clausula* decernuntur in 4. illis casibus: si factum omni iure sit prohibitum: si contra securitatem publicam: si damnum irreparabile: si periculum in mora. *Ord. Camer. 2. 23.* His vero vt principalioribus ac generalioribus aliae species expressae postea accesserunt, *vid. Coll. Iurid. Arg. de interd. 9. 26. sq.* Etiam haec sine clausula mandata emanant cum annexa citatione ad docendum se paruisse vel videndum se in poenam declarari, quae citatio olim seorsim impetrabatur *R. I. Spir. 1570. §. Ferner statuiren et §. wann auch die Arresten. R. I. Ratisb. 1594. §. demnach aber.* sed hodie in supplicatione sub periculo reiectionis libelli nominatim peti debet, vt illa citatio cum mandato decernatur. *Frid. de mand. c. 10. n. 4. Gail. 1. O. 15. n. 4.* Etsi autem ista mandata locum habeant regulariter contra personas immediate imperio subiectas. *Ord. Cameral. 2. 21. 22. 25. Mynf. Cent. 1. O. 89.* excepti tamen quidam status ita, vt Camera Imperialis in praecudicium primae instantiae, de *Austragen* ista mandata decernere non soleat. *Frider. 1. de process. 16. n. 1.* Caeterum esset, vt adhuc quaedam dicerentur de diuisione mandatorum in inhibitiones et mandata compulsoria, item de monitoriis aliisque; sed instituto nostro hac quidem vice sufficere poterit vel

TANTVM.

X 2656348





B. N. F. 142.  
h. 38, 1.

II k  
4630

IOAN. HENR. FELTZII  
V. I. D. INSTITVT. IMPERIAL. ET IVRIS  
PVBLICI P. P. ORD. CAPIT. THOM. CANONICI ET  
FACVLT. IVRID. T. T. DECANI  
SPECTABILIS  
DE  
IVRIS PVBLICI  
SERVITVTIBVS

SIVE DE  
IVRIBVS IN ALIENO  
TERRITORIO  
TAM IN GENERE, QVAM QVOD SPECIES  
PRAECIPVAS  
*EXERCITATIO IVRIDICA*  
QVAM  
IN ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE  
DIE XIX. MAI. MDCCI.  
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBMISIT  
IOAN. NICOLAVS Schmid,  
MOENO-FRANCOF.

ARGENTORATI,  
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Acad. Typogr.  
M DCC XXXVI.

2225